breviſsimo ſanctiſsimoq; argumento id fieret. Deo quidem Opt. Max. ingentes etiam hoc nomine gratiæ debentur, quòd, ut univerſam religionem ſincèram noſtris temporibus innoteſcere ac variis illuſtrari linguis ſacram ſcripturam, largitus eſt: ita orationes quóque ſacras, & Pſalmos, & quæcunque ad veræ pietatis profeſsionem cultumque pertinent, diverſæ nationes hodie, noſtrâ memoriâ, privatim publiceque in templis, invito Antichriſto, ſuâ quæque vernaculâ linguâ proferre incœperint: ſiquidem in noſtra utcunque anguſta civitate, Latinè, Græcè, Hebraicè, Germaniçè, Italicè, Gallicè, Anglicè, & aliis quibuſdam linguis ſacræ litteræ in Dei gloriam leguntur, addiſcuntur, celebrantur.

Supereſt, honorande mi BALEE, ut pro eximio candore tuo ac eruditione te rogem, ſi quid in hoc libello noſtro quovis modo mutandum videbitur, id liberè ut mutes atque emendes. Neq; enim, quantum par erat in eo conſcribendo, tempus poſui: neque ſi poſuiſſem, multo ampliùs inſtituto ſatisfacere potuiſſem. Hoc verò maximè peto, ut ſi quæ alia Britannici regni lingua eſt (nam & Hiberniæ & Monæ inſulis ſuas eſſe audio:) de illis quóque ſpecimen aliquod, præſertim in oratione Dominica, maturè ad nos tranſmittas.

Vale. Tiguri K L. Aug. Anno ſalutis M. D. LV.